



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Amico præmaturum filij sui funus dolenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

dignitas postulat. Suscepi Candidatum, & suscepisse me notum est. Ego ambio, ego periclitator. In summâ, si datur Lepido, quod petit, illius honor; si negatur, mea repulsa est. Vale.

A M I C O

Prematurum Filii sui funus dolenti.
 Consolatoria.

Dolorem tuum quis est, qui non approbet, aut qui dolere tecum ultro non velit? Filium requiris extinctum, ante annos, parentum delicias, spem domûs & gentis inclytæ extremum olim, si vixisset, decus futurum. Hunc tu sedulo vel à teneris educaveras, institueras bonas ad artes adolescentem, tuis ipsius informaveras moribus, & natam mentem ad grandia stimulis acrioribus incitâras. At quo demum exitu, quo parentis gaudio, nunquam laudandus satis Adolescentens tam præclara documenta animo imbiberat? quis illo vidit in rebus acutiùs? quis differtuit peritiùs? quis scripsit elegantius? quis ad omne virtutum genus cupidius exarsit? Sed quid ego vel istâ commemoratione refrico fortasse nondum obducta bene vulnera, quibus mederi velim? Quanquam hæc ipsa sunt, quæ lenire parentis ægritudinem & possunt & debent. Viget enim verò, & longum vigebit apud omnes gratissima juvenis optimi memoria. Imò non aberit penitus ab hominum consortio, quem multorum laudibus celebrari identidem audies, & tanquam absolutum quoddam ætatis illius primæ exemplar requiri. Hoc in speculum, ne dubita, diligenter intuentur, quos habes superstites filios.
 Illic

Illic perlegent officij sui partes, & fraternæ virtutis æmulatores avidi, quem ereptum tibi desideras, etiam cum fœnore restituent. Hæc te spes interim sustentet, & pias parentis lachrymas abstergat. Vale.

A D A M I C U M.

Raram esse, imò nullam apud homines sinceritatem.

Morosa.

UBi, ubi sumus, Amice? quibuscum vivimus? quò demum fugit sinceritas? quò veritas exulavit? Huccine recidisse res humanas, ut fallacia, præstigiæ, dolus ubique dominantur; neque ullum deinceps sinant esse simplicitati locum? Equidem noveram satis, non esse hominum quorumlibet candorem illum ingenuæ mentis, quem requiro; imò mihi non latebat quosdam esse terrarum tractus tam aversos à verò, ut ne vestigium quidem sinceritatis uspiam reperias. At in istâ cœli purioris plagâ, inter cœtus illos hominum, quorum in vultu natus lepos, in verbis comis urbanitas, in ipsâ vivendi agendique ratione facilitas quædam, expersque fuci candor apparet; hîc, inquam, neminem esse non fucatum, non fallacem, non personatum! quis hoc ferat, amice? quis non expostulet? quis non indignetur? Cedo locum aliquem quò ferar, ubi vivere liceat. Nam hæccine vita est, quam vivimus? vivere hunc putem, hominem qui non habeat, cujus intueri possit animum, qualis revera est? cui verum dicere, à

M 3

quo